QUI FUERINT GREGORII MAGNI PAPAE TEMPORIBUS IN IMPERII BYZANTINI PARTE OCCIDENTALI EXARCHI ET QUALIA EORUM IURA ATQUE OFFICIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS
DIE XI. MARTII MENSIS ANNO MDCCCXCII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FELIX LAMPE.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
FERDINAND GUETERBOCK, STUD. PHIL.
RUDOLF WESSELY, CAND. PHIL.
SIEGFRIED FITTE, DR. PHIL.

BEROLINI
MAYER ET MUELLER.

PARENTIBUS MEIS CARISSIMIS
PIETATIS ERGO.

Cum nuper praemio ab Universitate Berolinensi proposito adductus essem, ut quot et quales fuissent in Italia et Africa temporibus Gregorii Magni papae magistratus imperii Byzantini perquirerem, quaestiones quasdam intellexi exsistere, de quibus viri docti valde inter se discrepant, et perlustratis eorum libellis inutile mihi non videtur esse de aliquot controversiis pauca disserere. Ex quibus elegi eas dissensiones, quae sunt de auctoritate et potestate exarchi; exarchus enim omnium magistratuum erat princeps.

Etsi a Theodosio imperatore imperium Romanum in partem orientalem et occidentalem divisum erat, populo non minus quam principibus, qui consules communes nominabant et promulgabant,[1]) persuasum erat administrationem regni contextu et continuatione perpetua inter se cohaerere. Qua in sententia Gotorum quoque reges, qui Italiam loco magistratuum Graecorum administrabant,[2]) perseverabant. Itaque imperium Romanum revera in novam disciplinam et statum conversum et commutatum est non prius quam bello Gotico feliciter a Narse gesto Italia ab Justiniano imperatore in formam provinciae regni orientalis redacta et per sanctionem pragmaticam et alia constituta legesque bene ordinata est. Sed paucis annis post per Langobardos, qui per saltus Predilii[3]) Alpes transgressi erant, ut in fertilioribus Italiae locis domicilia collocarent, status reipublicae valde disturbatus est; bellis enim cum Persis gerendis Tiberius imperator impeditus est,[4]) quominus satis multos milites in Italiam mitteret.

---

[1]) Th. Mommsen. Neues Archiv XIV 226 sequ.

[2]) Mommsen l. c. pag. 240.

[3]) Zschft. f. Ethnol. 1888 pag. 508.

[4]) Hirsch. Das Herzogt. Benev. Leipz. 1871 pag. 4.

Langobardi igitur non modo septentrionales provinciae partes sed etiam fines Spoletinos et Beneventanos occupaverunt. Ipsos autem cives et in Roma urbe[1]) et in municipiis saluti suae prospicere necesse erat. Per tot tantasque turbas ratio administrationis magis magisque commutata est. Quomodo factum sit, percipimus ex registro epistolarum Gregorii Magni papae,[2]) ex tabulis quibusdam aliisque scriptis, quae ex saeculo illo restant,[3]) ex libris scriptorum antiquorum. Sed Gregorius Turonensis,[4]) qui erat eiusdem aetatis historiographus, pauca tantum scribit de statu Italiae, Paulus diaconus[5]) vixit CCC circiter annis postquam Langobardi in Italiam venerunt, Agnellus[6]) nono demum saeculo librum pontificalem ecclesiae Ravennatis conscripsit. Itaque cum Gregorii temporibus status Italiae abhorruerit a legibus, quibus provincia recuperata ordinata est, relationes autem historiographorum non utiles neque aptae sint nisi ad amplificandam cognitionem, neque a legibus Justiniani neque a libris scriptorum sed a registro epistolarum Gregorii papae, si veram rationem administrationis Byzantinae et disciplinam Italiae provinciae cognoscere velimus, disputationem nostram esse incipiendam perspicuum est.

---

[1]) Gregorovius, cum Pelagio papa Roma urbs obsideretur, cives primum militiam suscepisse putat (Gesch. d. Stadt Rom II 16, 17). Exercitum ex civibus bene formatum primum commemorari in libro Pontif. 50 circ. annis post Gregorii pontificatum Ch. Diehl demonstravit: Études sur l'administrat. byz. dans l'exarchat. Paris 1888 pag. 308.

[2]) Edit. Maurin. Paris 1705 (Gregorii opera omnia tom. II.). Epistolarum lib. 1—4 ex recensione P. Ewaldii in Mon. Germ.; Ewald novum epistolarum ordinem constituit, de quo disseruit in N. A. III 433. Quem ordinem cum Weise (Italien und die Langobardenherrscher. Halle 1887.) nimis incaute reprehendisset, Hartmann defendit in N. A. XIV 411. Epistolarum lib. 5—7 Hartmann nuper in Mon. Germ. edidit.

[3]) Marini. Papiri diplomatici (1805).

[4]) Greg. Tur. Hist. Franc. ed. Arndt in M. G. Ss. Mer.

[5]) Pauli diac. hist. Lang. ed. Waitz in M. G. Ss. Lang.

[6]) Agnelli qui et Andreas lib. pont. Rav. eccl. ed. Holder-Egger in M. G. Ss. Lang.

Quo tempore Gregorius ecclesiae Romanae praeerat, exarchatus iam erat munus certis terminis segregatum ab aliis magistratibus, quibus imperium Byzantinum ad Italiam et Africam gubernandam utebatur. Neque tamen dubitandum est, quin paulatim exarchatus auctoritate creverit. Sed a quo magistratu munus exarchi profectum sit, viri docti diu ignoraverunt.[1]) Quorum sententiae in eis rebus consentiunt, quae ad tempus institutionis illius pertinent; nam non prius quam Italia Gotis erepta est, exarchatus memoria fit; quin etiam Narsem nondum exarchum fuisse constat. Consentiunt quoque illis temporibus exarchum exercitui praefuisse et pro imperatore de bello et pace cum hostibus egisse. Sed cum Mommsen aliquando quaesivisset,[2]) annon, ut Justinianus recuperatam Africam sub praefecto praetorio esse voluit, ita recepta Italia aut ab ipso Justiniano aut postea paulo antiquus praefectus praetorio per Italiam sub exarchi nomine suscitatus esset, Hartmann[3]) censuit exarchum, ut duces provinciae iuvaret et repelleret Langobardos, cum exercitu Byzantino ab imperatore missum esse; quem, cum barbari fortiter restitissent, in provincia mansisse et paulatim totam administrationem sibi vindicasse. Diehl[4]) autem putat, cum a Langobardis pericula instarent, necesse fuisse rem militarem cum muneribus civilibus coniungi ita ut unus vir totam provinciam gubernaret. Quae sententia, si attentis animis registrum epistolarum Gregorii perlustramus, probabilis non videtur, quia papae illius temporibus exarchum rei militari, civilibus magistratibus praefectum praetorii praefuisse intellegimus. Sed cum etiam in Africa exarchos inveniamus, perspicuum est illos ab imperatore non eo consilio institutos esse, ut in bello contra Langobardos gerendo summam imperii tenerent, sed paulatim ex munere magistri militum profectos, quia quo-

[1]) Breviter et perspicue sententias virorum illorum contulit Gelzer, Hist. Zschr. 65 pag. 180.

[2]) C. I. L. VIII 10529.

[3]) Hartmann Untersuchungen zur Gesch. d. byz. Verw. in Ital. (Leipz. 1889) pag. 30.

[4]) l. c. pag. 5, 10, 12 seq.

tienscumque hostes apparebant magistro militum difficiliores et graviores res gerendae erant. Propterea eodem modo Mommsen[1]) nuper iudicavit magistri militum munus, cum regnum principum Gotorum, qui in Italia fuerant magistri militum imperatoris Byzantini, eversum et deletum esset, ab Justiniano magistratibus Graecis commissum esse et paulo post exarchatum nominatum esse; nam cum inferioris quoque ordinis ducibus in exercitu militantibus illo tempore titulus magistri militum saepius attributus esset, summum exercitus ducem exarchi titulo ab eis discerni necesse fuisse. Tamen neque Hartmann neque Diehl erraverunt, cum exarchum plus valuisse quam antea magistros militum contendunt, ex ipsis enim Gregorii epistolis perspicere possumus auctoritatem exarchi praefecti praetorio potestatem coepisse superare. Quod in hac disputatione accuratius demonstrabo.

I. Qui fuerint exarchi in Italia et in Africa.

Cum Gregorius pontificatus honorem assecutus esset, Romanus erat exarchus Italiae.

Quem Weise[2]) aliique viri docti Smaragdo successisse crediderunt; sed Hartmann[3]) demonstravit Iulianum quendam paulum provinciae praefuisse postquam Smaragdus revocatus esset et antequam Romanus munus illud adiisset. Gregorio papae cum Romano ab initio[4]) pontificatus iurgia erant et controversiae. Quo vero anno de vita Romanus decesserit, non satis constat. Nam Hartmann non probat,[5]) quod Paulus diaconus[6]) narrat, anno DXCVIII eum mortuum esse, et Weise[7]) narrationi non solum Pauli diaconi sed etiam Rubei cuiusdam scriptoris, qui saeculo XVI[8]) historiam Ravennatem composuit, fidem habet. Ex

[1]) Neues Archiv XV 185.

[2]) l. c. pag. 133.

[3]) l. c. pag 111.

[4]) Ewald in Jaffé Reg. Pont. Roman. 2. Aufl. No. 1101.

[5]) l. c. pag. 112.

[6]) Hist. Lang. IV 12.

[7]) l. c. pag. 205.

[8]) Venetiis 1590.

Gregorii autem epistolis ad quaestionem illam spectantibus, quarum auctoritate sine ulla dubitatione dissensio diiudicanda est, Hartmann non minus quam Weise se cognovisse dicunt sententias suas esse haud dubias. Itaque examinanda sunt argumenta, quae viri illi docti ex registro Gregorii petiverunt. Hartmann putat anno DXCVI, quod Ravennae mense Aprili exarchi mentio non fiat, quamquam de pace agatur, testimonio esse absentiae exarchi;[1]) Romanum enim esse mortuum, Callinicum autem, successorem eius, nondum ex urbe imperatoria advenisse. Sed si minus cum exarcho at certe cum Andrea scholastico mense Aprili eiusdem anni Gregorius per litteras de rebus ecclesiasticis agit.[2]) Cumque iam anno DXCV scholasticus ille Romani nomine de talibus rebus cum papa communicet, non mirum est, quod tum quoque vices exarchi egit. Cur ipsius Romani non mentio fiat, nescimus. Papa fortasse tam iratus fuit, quod anno DXCV exarchus imperatori mala de consiliis episcopi Romani rettulerat,[3]) ut ei litteras dare vitaret. Nam excepta una epistola[4]) mense Iulio anni DXCV scripta ex illo tempore, quo Gregorius relationem exarchi ad imperatorem factam aegro animo tulit, papa cum Andrea, non cum Romano agit neque epistolae ad exarchum datae exstant. Qua suspicione, sive vera est sive falsa, demonstratur silentium illud epistolarum alio quoque modo declarari posse atque ea opinione Romanum fuisse mortuum. Immo potius ex lectione epistolarum, in quibus exarchi mentio non fit, colligere possumus Romanum tum munere suo prudenter et graviter functum esse. Gregorius enim, quamquam imperator eum in curas belli pacisque se interponere vetuerat, tamen pacis desiderio commotus mense Aprili

---

1) l. c. pag. 11.

2) Reg. 1411.

3) Reg. 1359. Eodem die, quo Gregorius imperatori respondit, in epistola ad episcopum amicum data iniurias magistratuum vehementer conquestus est.

4) Reg. 1367.

anni DXCVI per Secundinum diaconum [1]) conditiones pacis a rege Langobardorum postulavit. Quomodo Hartmann de disceptationibus illis iudicet, non satis perspicuum est. Nam cum dicat [2]) Gregorium effecise Ravennae, ut pax tractari inciperetur, videtur suspicari magistratus reipublicae foederi iungendo interfuisse. At, qui magistratibus illis praefuerit, eum mortuum esse ipse censet. Incredibile autem est magistratus quoslibet minores, priusquam novus exarchus advenisset, cum ad illud temporis rebus bellicis provisum esset, novam rationem reipublicae administrandae iniisse. Immo vero Gregorius de ipsa ecclesia eiusque patrimoniis cum Langobardis egisse videtur [3]) eodem modo, quo iam anno DCXII cum Ariulfo duce Spoletino [4]) et anno insequenti cum Agilulfo rege [5]) pacta fecerat; sed si de pace inter ecclesiam et Langobardos pangenda actum est, non mirum est quod Romanus exarchus dissensiones ecclesiasticas, in quibus Gregorium omne studium et operam primum consumere necesse erat, augendas curavit, ut episcopum ab actionibus invisis reiceret. Itaque metropolitanum Ravennatem, cum ad arbitrium libidinemque pallio uteretur, ab inimicitia papae defendit, qui edictis de pallii usu ei ante oculos ponere volebat ecclesiam Ravennatem sedi Romanae subiectam esse.[6]) Quin etiam, ut auctoritas Gregorii funditus labefactaretur, nocturno tempore Ravennae contestationes contra responsalem papae factae inventae sunt.[7]) Gregorius autem litteras gravissi-

---

[1]) Reg. 1413.

[2]) l. c. pag. 11.

[3]) Weise l. c. pag. 197 putat Gregorium cum Langobardis agentem reipublicae saluti prospicere voluisse. Neque tamen papam, cum paci studere paulo ante vetitus esset (Reg. 1359), iterum in curas pacis se interposuisse verisimile est. Num actum sit de vastationibus Campaniae nescimus. Itaque nihil impedit, ne Ewald ep. VI 35 (Maurin.) epistolae V 30 (Maurin.) anteponat.

[4]) Weise l. c. pag. 168.

[5]) Weise l. c. pag. 182.

[6]) Luther, Rom u. Ravenna; ein Beitr. z. Papstgesch. pag. 25, 33—38.

[7]) Reg. 1414.

morum verborum plenas ad Ravennates conscripsit: Qui turpes illas promulgationes in publicum protulerit, eum anathematis poena se afficere. „Si quis autem fortasse talis est, quem huius facti auctorem ac participem esse nescientes ad eum bona optantes epistolas transmittimus, ipsa pro eo apud omnipotentem Deum deprecatio sit vacua." Quibus verbis Gregorius ipsum exarchum videtur significare; nam plurimae epistolae Ravennam missae nomine exarchi aut episcopi inscriptae sunt; papa autem si episcopum Ravennatem libellorum illorum auctorem esse suspicatus esset, quaestionem facillime instituere potuit. Sed ab omni persecutione malefici promulgatoris desistit. Quae cum ita sint, vix dubitari potest, quin mense Aprili anno DXCVI Romanus nondum mortuus sit; nam si exarchus non praesens fuisset, qua ratione iste scholasticus dissensionibus ecclesiasticis se interposuisset? Neque declarari posset, cur Gregorius, cum pacis disceptationibus operam navaret, patricio inimico mortuo non expectasset, dum novus exarchus in Italiam venisset.

At exstant litterae[1]) Gregorii anno DXCVII mense Maio scriptae, in quibus exarchi non nominatim designati mentio fit hoc modo: „Credimus quod nos excellentissimus filius noster exarchus non contristet. Sed quia in Pado occupatus est, minime scripta eius suscepimus." — Hartmann[2]) igitur iudicat, cum Gregorius de exarcho tam amica et benevolentia verba faciat, eum non Romanum habendum esse. Weise[3]) autem recentem amicitiam inter imperatorem et papam exortam esse putat, qua exarchi quoque inimicitia et ira lenita et mollita sit. At calendis Iuniis eiusdem anni Gregorius litteris[4]) ad imperatorem datis vehementer conquestus est Byzantii sibi crimini dari, quod patriarchae Constantinopolitani superbiam graviter ferret. Itaque amicitia cognosci potest nulla, praesertim

[1]) Reg. 1465.

[2]) l. c. pag. 11.

[3]) l. c. pag. 202 seq.

[4]) Reg. 1476.

cum mense Septembri Gregorius veteres quaestiones de iudicibus Byzantinis repetat.[1]) Eodem anno papa Sabinianum apocrisiarium ex urbe imperatoria revocavit aliumque legatum misit. Weise [2]) quidem censet Gregorium optasse, ut Sabinianus experientia sua in amicitia renovanda se adiuvaret. Sed cum Sabinianus usu consuetudineque magistratuum et familiae imperatoris infesto magis quam amico fruitus esset, experientia eius non tam ad amicitias quam ad inimicitias ineundas utilis fuisset. Recte igitur iam Lau [3]) opinatus est Sabinianum, quia dissensiones nimis magnae fuissent, diutius Byzantii manere non potuisse. Sed omnino non necesse mihi videtur esse multa ex revocatione Sabiniani colligere: neque quidquam sequitur ex donis illis privatis ex urbe imperatoria eo tempore Romam missis. Sin autem Weise [4]) in defendenda sententia sua magni esse momenti putat anno DXCVII Gregorium permultas epistolas Constantinopolim misisse, ei opposuerim papam episcopo Byzantino mortuo virum sibi gratiosum ordinari cupivisse: quamobrem eodem fere tempore, quo litteras supra memoratas cum exacerbatione ad imperatorem scripsit, eidem principi in epistola [5]) aulicarum blanditiarum repleta pro electione Cyriaci gratias egit. Hartmannii autem iudicium sequentes exarchum, a quo Gregorius se non contristari confirmat, non Romanum fuisse sed Callinicum suspicaremur. Sed dubito, num ex ratione dicendi commutata, qua Gregorius in illis litteris de exarcho utitur, sequatur, ut ratio quoque administrandae reipublicae nova sit instituta. Quam dubitationem ut melius probarem, ex registro Gregorii selegi epistolas tres. Anno enim DXCII Gregorius aegre fert, quod a Mauricio imperatore episcopos Istrianos vi ad

[1]) Reg. 1489.
[2]) l. c. pag. 203.
[3]) Lau, Gregor der Grosse pag. 164.
[4]) l. c. pag. 202.
[5]) Reg. 1452.

unitatem ecclesiae reducere vetitus est;[1]) et anno insequenti, quod per legem Mauricii milites, ne monachi fiant, impediuntur.[2]) Tamen anno DXCIV ad Maximum, qui per vim episcopus Salonae factus est, scribit imperatorem (cuius nomen non enuntiatur) rebus ecclesiasticis numquam se interponere:[3]) nam episcopo illi spem auxilii imperialis eripere cupit. Si animo fingamus non satis constare, quo anno Mauricius imperator mortuus sit, sine ulla dubitatione ex ratione dicendi, qua Gregorius in illis litteris ad Maximum datis utitur, Hartmann desumeret Phocam, quem, cum Mauricio successisset, voluntati episcopi Romani non defuisse scimus, iam anno DXCIV regnasse. Quo exemplo probatur Gregorium scribendi rationem mutasse pro consilio, quod epistolis suis consequi volebat. Itaque quamquam mense Aprili anni DXCVI papam tam iratum esse cognovimus, ut Romani exarchi ne mentionem quidem faciat, mense Maio anni DXCVII eum de exarcho nominatim non designato benevolenter et amice loqui vidimus, denique anno DXCVIII Callinicum exarchum, quo Gregorius familiariter usus sit, Italiae praefuisse scimus, tamen non sequitur, ut Callinicus mense Maio anni DXCVII exarchus fuerit; sed hoc unum constat Gregorium aliqua causa ignota commotus de amicitia, qua cum exarcho iungeretur, magna verba fecisse. Et cum papa litteris mense Maio conscriptis magistratum quendam, qui in tutelam ecclesiasticam fugerat, consolari velit, mirari non possumus, quod „voluntatem officiosam“ exarchi magnis laudibus effert; neque hoc mirum videtur, quod papa, cum Romanum exarchum atque imperatorem sibi malevolentem esse non ignoraret, ne cum exarcho de magistratu illo communicaret, non recusavit; nam si extraordinaria nancisci vetamur, omnibus viribus contendere solemus, ne debita nobis minuantur. Ius tutelae autem ecclesiae permissum erat. Utilitatem vero clienti papae tutela ecclesiastica non attulit;

[1]) Reg. 1198.
[2]) Reg. 1266.
[3]) Reg. 1292.

nam etsi non exarchus sed exconsul quidam quaestionem de eo instituit, gravi poena affectus est.[1])

Veniamus ad tertium Hartmannii argumentum. In epistola[2]) enim mense Iunio anni DXCVII ad Andream quendam Byzantinum[3]) missa haec verba inveniuntur: „Gratias ago, quia me de duabus personis, quae cum glorioso Callinico venerunt, cautum reddere studuistis, quamvis personae eius, quam prius magnitudo vestra nominavit, iam in malis non modicum experimentum tenemus." — Qua epistola Callinicum illo tempore in Italiam advenisse demonstratur et, quia eundem virum anno post exarchum fuisse scimus, mense illo Iunio, ut exarchi locum teneret, eum advenisse veri simile est. Tamen cum exarchi titulus ei non imponatur, opinio illa veri similis omnem dubitationem non tollit. Anno enim DXCVII rationem gubernationis in Italia minime commutatam esse iam vidimus[4]). Insequenti autem anno pax, de qua ad illud temporis magistratus imperii, ne cum Langobardis agerent, semper recusaverant, non modo serio agitata sed etiam episcopo Romano internuntio paulo post facta est. Deinde de Istrianis quoque rebus Gregorius cum exarcho de integro communicat,[5]) id quod non fecerat ex quo tempore Romanum exarchum et imperatorem schismaticos defendere expertus est. Quin etiam dissensiones illae Salonenses plus quam quattuor annos protractae Callinici industria tum sublatae sunt.[6]) Quae omnia eodem fere tempore esse gesta non mirum est, si novum exarchum provinciam administrandam iniisse

---

[1]) Reg. 1592, 1794. Conf. Lau l. c. pag. 231.

[2]) Reg. 1472.

[3]) Weise l. c. pag. 206 falso dicit epistolam Ravennam esse missam ad Andream scholasticum.

[4]) Reg. 1489. Recte quidem Hartmann N. A. XV 417 negat Gregorium de iniuriis iudicum nisi temporibus Romani exarchi queri non potuisse.

[5]) Reg. 1666.

[6]) Reg. 1681. Iam anno DXCVIII mense Iunio Gregorius de Maximo ad exarchum litteras dat.

opinamur. Sin autem Callinicum iam anno DXCVII exarchum factum esse putamus, nusquam reperimus eventum, quo novum magistratum coepisse provinciam gubernare perspicuum fiat. Et in litteris illis mense Iunio anni DXCVII scriptis non tam de Callinico agitur quam de duobus viris, qui cum eo venerunt. Quos cum Gregorius nominatim designare caute omittat seque iam antea malevolentiam unius eorum expertum esse contendat, viros potentissimos eos habere debemus; itaque non minor sed par potestas eis videtur fuisse. Callinicum igitur exarchum fuisse non verisimile est, praesertim cum titulo gloriosi [1]), quem papa ei attribuit, exarchus Italiae semel modo in registro Gregorii afficiatur. Quae cum ita sint, legationem quandam extraordinariam Byzantio in Italiam missam esse suspicor, [2]) cuius participes erant Callinicus cumque eo duo viri, quos Gregorius cavebat. Neque fieri posse censeo, ut papa tali ratione dicendi usus sit, qualis in epistola mense Iunio scripta inest, si ab inviso Romano liberatus esset novumque exarchum in Italiam venire cognovisset. Nam inimico episcopo Byzantino anno DXCVII mortuo, quamquam Gregorius in novo quoque patriarcha non magnam spem posuit, [3]) tamen, cum alius vir ecclesiae praeesset, studuit impetrare, ut aliam quoque se gerendi rationem ecclesiastici Byzantini capessere ab imperatore iuberentur. Num eodem anno exarchi adventum querelis modo salutasset? Et exarchi quidem, quem anno insequenti, quaecunque diu desideraverat, perficere videret? Falso igitur Weise [4]) litteras anno DXCVIII demum scriptas esse opinatur. Weise enim non minus quam ceteri viri docti epistola illa putat nuntiari Callinicum advenisse, ut exarchatum iniret; cum vero Paulum diaconum sequatur, qui Romanum anno DXCVIII mortuum

---

[1]) Reg. 1322.

[2]) Simili modo Leontius vir gloriosus (Reg. 1657) ab imperatore in Italiam missus est.

[3]) Reg. 1453. Et quam accurate papa perlustrat et examinat litteras synodales!

[4]) l. c. pag. 205.

esse narrat, epistola nostra ei impedimento est. Qua epistola Gregorium anno DXCVIII rebus in melius se commutantibus novum exarchum salutasse etiam minus credibile est quam anno DXCVII. — Itaque si totam quaestionem respicimus, illud unum constat anno DXCVII Callinicum gloriosum in Italiam venisse, novam autem rationem provinciae gubernandae insequenti demum anno cognosci. Ergo aut nobis licet credere Callinicum anno DXCVII exarchi munere affectum advenisse — quod si ita est intellegere non possumus, cur pristinus rerum Italicarum status per anni spatium integer remanserit, postea autem exarchus novam reipublicae administrandae rationem secutus sit — aut licet commutationem illam ita declarare, ut eam per novum exarchum munus suum ineuntem effectam esse censeamus; quam si sequimur sententiam, necesse est opinari Callinicum, cum anno DXCVII adveniret, nondum fuisse exarchum. Anno DXCVI Romanus sine ulla dubitatione nondum mortuus est. Accedit quod Paulus diaconus eum anno DXCVIII vixisse narrat. Sed cum Paulo fides non habenda sit, [1]) non magni momenti est, quod narratio eius consentit cum sententia mea Gregorii epistolis confirmata et explicata. Utrum Callinicus postquam cum duobus viris ab imperatore anno DXCVII in Italiam missus est, Byzantium reverterit, an in Italia moranti, cum Romanus de luce migrasset, se exarchum factum esse nuntiatum sit, ignoramus.

Callinico exarcho anno DCIII successit Smaragdus. Iam Muratori [2]) Phocam, qui anno DCII misere necato Mauricio eiusque tota familia imperatorem se fecerat, putavit effecisse, ut Callinici locum alius vir sibi gratiosior teneret. Nam Paulus diaconus [3]) et Agnellus [4]) narrant Smaragdum vi et armis Callinicum expulisse; quae narra-

---

[1]) Wattenbach. Geschichtsquellen 5. Aufl. (1885) I 161.

[2]) Weise, l. c. pag. 240.

[3]) Hist. Lang. IV 25.

[4]) l. c. 101 (M. G. Ss. Lang. 344.)

tiones cum non satis perspicuae sint, viri docti diversas de ea re sententias protulerunt. Hartmann[1]) enim Phocam, ut in orientali imperii Byzantini parte a Narse, ita in Italia a Callinico imperatorem non agnitum esse censet; Smaragdum igitur esse missum, ut Callinicum vi exarchatu privaret: Weise autem opinatur Smaragdo, ut gratiam provincialium Italicorum novo imperatori conciliaret, curam administrationis permissam esse. Illud unum constat Smaragdum exarchum novam provinciae gubernandae rationem iniisse. Quam ob rem Gregorius gaudio exsultavit, cum aliquanto post Mauricii necem certum esset Phocam huius rationem reipublicae administrandae non secuturum esse.[2]) Nam quamquam Callinici temporibus status et conditio Italiae melior fuerat quam sub Romano exarcho, tamen iam anno DXCIX Callinicus exspectationes papae fefellit.[3]) Anno autem DCI non minus bellicosum se ostendit quam Romanus fuerat. Sed Smaragdus, qui iam prius Italiae praefuerat, cum schismaticos valde oppressisset,[4]) Gregorio gratus et acceptus erat.[5]) Propterea papa cum eo sine mora de rebus schismaticis agere coepit. Itaque sedes Romana, quae tam diu occultas exarchorum inimicitias graviter tulerat, benevolo et amico magistratuum imperialium usu frui potuit.

Quoniam de tribus exarchis, qui Gregorio Magno papa Italiae praefuerunt, satis dictum videtur, transeamus ad magistratus Africanae provinciae. Quam non multo aliter gubernatam esse atque Italiam epistolae Gregorii docent; de rebus autem Africanis minus instructi sumus, cum plures epistolae ad Italiae quam Africae administrationem spectent. Itaque unum exarchum Africae cogno-

---

1) l. c. pag 12, 113.

2) Reg. 1899, 1907; cf. Gregorovius Gesch. d. St. Rom im Mittelalter II 72; iudicium autem eius de his epistolis nimis durum mihi videtur.

3) Reg. 1680.

4) M. G. Reg. Greg. 16 a.

5) Reg. 1901.

scimus, cui nomen Gennadius est. Sed cum ab anno DXCI usque ad annum DXCVIII septem epistolae[1]) ad Gennadium scriptae sint, ex annis autem sequentibus nulla epistola ad exarchum Africae data exstet, profecto aut novus exarchus in provinciam illam non missus esse aut munus exarchi una cum praefectura ab eodem viro esse gestum videtur. Innocentius enim, qui non multo ante mensem Iunium anni DC praefecturam Africanam adiit, [2]) dromones ornavit eique pacem cum Langobardis factam esse nuntiatum est; eisdem igitur rebus operam navavit, quibus aliis temporibus exarchus prospicere solebat. Gennadius autem mense Octobri anni DXCVIII non iam in Africa videtur versatus esse; nam tum causa episcopi Byzaceni acta est,[3]) cui magister militum Theodorus, pecunia corruptus se interposuit; sed exarchi non mentio fit, quamquam is magistris militum praeerat. Utrum Gennadius mortuus sit, an ab imperatore revocatus nescimus. Illud autem mentione fortasse dignum est, eodem anno DXCVIII complures magistratuum appellationes occurrere: exarchum Italiae, erogatorem,[4]) curatorem sitonici,[5]) tribunum.[6]) Neque ignoramus Solomonem, qui antequam Gregorius papa ordinatus esset, magister militum Africae erat, praefectum quoque nominatum esse.[7]) Quae magistratuum civilium et militarium coniunctiones in Italia non inveniuntur; et in Africa quoque cum Gennadius provinciae praeesset, Pantaleon quidam separatim praefecturam tenebat.[8]) Tamen post annum DXCVIII coniunctio similis ac Solomonis temporibus esse effecta videtur. —

[1]) Reg. 1129, 1141, 1142, 1278, 1443, 1419, 1533. Ex epistola Reg. 1443 intellegi potest octavam quandam epistolam periisse.

[2]) Reg. 1785.

[3]) Reg. 1551.

[4]) Reg. 1767.

[5]) Reg. 1641.

[6]) Reg. 1732.

[7]) Mommsen N. A. XV 186.

[8]) Reg. 1304.

II. De muneribus et officiis exarchorum.

Inter omnes magistratus, quibus Italia et Africa administrandae commissae erant, primum ordinem tenebant exarchi. Exarchis patriciatus honor attributus erat, non praefectis praetorio,[1]) et exarcho, si coniunctim cum praefecto nominatur, primus locus conceditur.[2]) Titulum habet excellentiae vel eminentiae; Romanus quidem exarchus Italiae in epistolis Gregorii semel appellatur vir gloriosus,[3]) quamquam in aliis epistolis ex consuetudine excellentissimi viri dignitas ei conceditur; Gennadius exarchus Africae ter viliore illo titulo nominatur.[4]) Plerumque Gregorius, si de exarchis loquitur, patriciatus quoque honorem eis attribuit. Exstant autem epistolae, in quibus sola patriciatus[5]) dignitas, et aliae, in quibus solum exarchatus munus[6]) commemoratur, quin etiam in ipsis inscriptionibus.[7]) Itaque cum certa et stabilita ratione scribendi Gregorius uti non videatur, ex exemplis iam dictis concludi non potest Callinico exarcho, quia neque in ipsis epistolis neque in inscriptionibus patricius appellatur, dignitatem illam non attributam esse. Smaragdus a Gregorio papa semper patricius et exarchus nominatur. Quodsi perquirimus, quibus titulis scriptores aetate posteriores, si de eisdem exarchis narrant, utantur, videmus Paulum diaconum Romanum[8]) et Callinicum[9]) et Smaragdum[10]) et

---

[1]) Quod Hartmann (l. c. pag. 28) magni aestimat. Diehl quoque (l. c. pag. 173) exempla contulit exarchorum, qui patricii appellati sunt.

[2]) Quod Ewald (M. G. Reg. pag. 27 magni momenti esse putat.

[3]) Reg. 1322. Si Callinicus in ep. Reg. 1472 exarchus habendus est, secundum exemplum exarchi gloriosi exstat.

[4]) Reg. 1129, 1142, 1145. Cf. Hartmann l. c. pag. 137.

[5]) Reg. 1198.

[6]) Reg. 1353.

[7]) Romano exarcho Reg. 1333, Prisco patricio Orientis Reg. 1256. De Prisco cf. Herzberg Gesch. der Byzant. (Berl. 1883) pag. 39 seq.

[8]) Hist. Lang. III 26.

[9]) l. c. IV 20.

[10]) l. c. III 18, III 26 (bis), IV epitome, IV 25, 28, 32. Falso igitur Ewald in M. G. Reg. pag. 18_{45} dicit Smaragdum a Paulo in hist. Lang. semper exarchum nominari.

Priscum[1]) appellare patricios et unum Romanum[2]) semel patricium et exarchum; Agnellus autem, qui Smaragdi unius titulum affert, eum nominat patricium.[3]) Sed dignum notatu mihi videtur Smaragdo exarcho in epistola ab episcopis Istrianis ad imperatorem data chartularii[4]) dignitatem tribui, cum Paulus diaconus Narsem prius quidem chartularium fuisse deinde propter virtutem patriciatus honorem promeruisse narret.[5])

Exarchus nemini oboediebat nisi ipsi imperatori; qui eum in provinciam mittebat et ex provincia revocabat et mandata sua iussaque cum eo communicabat[6]). Apud imperatorem papa exarchum accusavit[7]). Sed quanta fuerit exarchi in agendo potestas et libertas inde apparet, quod Romanus iussa Mauricii imperatoris neglegere atque etiam contra ea facere videtur.[8]) Immo vero exstat exemplum, quo magistrum quendam militum — et magistri militum sub exarchis erant — alia egisse edocemur atque imperator iusserat.[9]) Sed etiam accidit, ut imperator, exarcho eiusque magistratibus praetermissis, ipsam administrationem Italiae provinciae novis constitutionibus commutaret, quibus omnes magistratus obsequi debebant.[10])

In rerum militarium administratione tractanda dicendum est primum, quomodo exarchus, cum ipse in uno

[1]) l. c. IV 26.

[2]) l. c. IV 8.

[3]) l. c. 110 (M. G. Ss. Lang. pag. 344).

[4]) M. G. Reg. 16a.

[5]) Hist. Lang. II 1. Narses appellatur patricius a Paulo l. c. II 3, II 4 et ab Agnello l. c. 95 (M. G. Ss. Lang. pag. 338), a Gregorio Turonensi dux Italiae (Hist. Fr. V 19) et praefectus (l. c. VII 36). In inscriptionibus appellatur vir gloriosissimus (C. I. L. VI 1199), excellentissimus (C. I. L. X. 8045), patricius (C. I. L. X 8014).

[6]) Reg. 1680.

[7]) Reg. 1445.

[8]) Licet Gregorius inoboedientiam exarchi paulo in maius extollat: certe putavit fieri posse, ut imperator aliud iuberet, exarchus aliud faceret. Reg. 1322.

[9]) Reg. 1551.

[10]) Reg. 1266, cf. Reg. 1776.

loco sedem haberet, exercitum per totam provinciam diviserit, deinde, quales fuerint milites; nam ea sola ratione, quamquam in ipsius exarchi iuribus et officiis enumerandis non semper nos continemus, tamen totam eius potestatem et opes cognoscere possumus

Etsi dubitari non potest, quin exarchi Africani[1]) et Italici[2]) magistros militum ducesque, qui singulis exercitus partibus praeerant, et tribunos comitesque, qui minores militum turmas manusque ducebant, et nominaverint et dimiserint, exempla exstant, quibus imperatorem eadem fecisse demonstratur.[3]) Sed constat totum exercitum exarchi curae commissum esse; Gennadium enim comitem Sardiniae ad se vocare videmus,[4]) et Romanus decrevit, quo loco milites stativa haberent.[5]) Exarchus Italiae sedem habuit Ravennae; sed inde in diversas Italiae partes itinera fecit.[6]) Romanus aliquando Romae fuisse dicitur;[7]) Gregorius quidem de hac exarchi in urbe commoratione non loquitur; sed quod Callinicus paucis annis post Romam venire desiderat, valde gaudet.[8]) Nescimus autem, utrum Callinicus profecto invitationem papae secutus sit necne. Smaragdum vero Neapoli commoratum esse constat.[9]) Ubi exarchi Africani sedem habuerint, incertum est; Gregorii enim epistolae non tam de eis ipsis quam de magistris militum eis oboedientibus nos certiores faciunt, qui quidem in Sardinia insula ducatum gesserint. Sicilia

1) Reg. 1449.

2) Reg. 1732.

3) Nominatio Reg. 1767; dimissio Reg. 1359.

4) Reg. 1449.

5) Reg. 1359.

6) Reg. 1465.

7) Lib. pontif. (ed. Duchesne I pag. 312); cf. Paul. diac. Hist. Lang. IV 8. Quam rem diversis narrationibus exornavit Rubeus Hist. Rav. IV 187.

8) Reg. 1680.

9) C. I. L. VI 1200.

insula neque Italicis neque Africanis exarchis suberat;[1] Sardiniae[2] autem et Corsicae[3] exarchus Africae praeerat, qui in Corsicam gubernandam mittebat comitem[4]. In Sardinia insula Gregorii temporibus deinceps versati sunt duces Edantius,[5] Theodorus,[6] Zabardas,[7] Eupaterius. Theodoro titulus magistri militum tribuitur et Eupaterius. dum Sardiniae praeerat, in ordinem magistri militum videtur promotus esse.[8] Sed Italiae quoque exarchus milites cum magistris militum in diversas provinciae suae partes dimittebat; ita Neapoli magistrum militum[9] sedem habere non ignoramus; cui succedunt duces, quorum alter dux Campaniae vocatur,[10] alter dux Neapolis.[11] Diehl[12] igitur recte censere mihi videtur duces illos Neapoli habitasse, Campano autem exercitui praefuise. In Istriana quoque provincia[13] et in municipio Auximatum[14] magistros militum invenimus, Arimini autem sedem habuit dux,[15] quem Diehl[16] et Hartmann[17] totam Pentapolim rexisse putant. Singulis oppidorum praesidiis tribunos militum praefuisse

[1]) Siciliae insulae praefuit praetor Reg. 1608 et magister militum Reg. 1777.

[2]) Reg. 1129.

[3]) Reg. 1449.

[4]) Reg. 1449.

[5]) Edantius antequam Gregorius pontificatum iniit, dux Sardiniae erat. Reg. 1117.

[6]) De quo anno DXCIII papa iam non loquitur. Reg. 1116 et aliae ep.

[7]) Reg. 1297.

[8]) Gregorius primum appellat eum ducem Reg. 1595 (anno DXCVIII) paulo post magistrum militum Reg. 1722.

[9]) Reg. 1573 (anno DXCVIII et insequ.)

[10]) Reg. 1772 (anno DXCIX.)

[11]) Reg. 1923 (anno DCIII.)

[12]) l. c. pag. 29.

[13]) Reg. 1687.

[14]) Reg. 1624.

[15]) Reg. 1126.

[16]) l. c. pag. 25.

[17]) l. c. pag. 55.

existimat Diehl;[1]) sed Hartmann[2]) opinatur Occillani tribuno non solum Hydruntinum municipium sed etiam loca vicina[3]) commissa fuisse neque minus, ut iam supra dictum est, toti Corsicae insulae tribunus praefuit. Duris quidem illis belli temporibus copias non ruri dissipatas sed in paucis oppidis re vera coactas fuisse verisimile est; quam ob rem tribuni certe omnes milites suos plerumque in uno oppido secum habuerunt.

Cum vero, ut totam potestatem exarchi melius cognoscamus, enumerem, quot duces et tribuni in exercitu, cui praefuit, stipendia fecerint, illi non negligendi sunt, quorum stativa non satis cognita habemus. Ac primum quidem in Italia anno DXCII sex magistri militum exercitibus cum Langobardis bella gerentibus praefecti sunt. Ex quibus alterum tribus annis post,[4]) alterum etiam anno DXCVIII[5]) rursus invenimus; alii autem annis posterioribus iam non nominantur. Mirum sane est, quod, cum Gregorius semper inopiam copiarum queratur neque sciamus Graecos in bellis contra Langobardos gestis progressus fecisse,[6]) tot[7]) duces tantaque dignitate ornatos eodem tempore in Italia reperimus. Quibus ex magistris Ewald[8]) quidem censet Mauricium et Vitalianum fuisse priores. Quod si verum esset, multitudo militum certe non tanta fuisset, quanta videretur, si cum proprio quisque exercitu

[1]) l. c. pag. 114.

[2]) l. c. pag. 156.

[3]) Reg. 1732.

[4]) Cui nomen erat Castus. Reg. 1256, 1359. Maurini in ep. V 40 lectionem habent: Castorius. Quam lectionem Gregorovius l. c. II 46 secutus est neque minus Weise l. c. pag. 142, etsi Ewald (Mon. Germ. Reg. 208_{37}) iam demonstraverat se Castum et Castorium pro una eademque persona habere.

[5]) Reg. 1187, 1627.

[6]) Quomodo Langobardi in meridiana Italiae regione progressi sint, narrat Hirsch Herzogt. Benevent pag. 6—8.

[7]) Ewald in ep. Reg. 1152 rursus lectionem antiquam Martius pro Mauricio restituit; si lectionem Mauricius sequimur (Maur. legunt Maurilius, Weise l. c. pag. 156 seq. Mauricius), quinque modo magistri exstant.

[8]) M. G. Reg. 106_{89}.

licet parvo bellum gessisset. Sed sententia illa minus probanda est, cum Gregorius a Veloce petat,[1]) ut occasione inventa cum Vitaliano et Mauricio de bello administrando agat; ergo illis non inferior fuit, sed proprio iudicio consilia iniit. — Anno quoque DXCIX, quamquam pax facta erat, quattuor[2]) magistros militum in Italia invenimus. De magnitudine sane exercituum, quibus magistri militum praeerant, ex epistolis Gregorii nihil certum cognoscimus. Illud unum constat Castum magistrum militum unam legionem secum Romae habuisse.[3]) Quod cum Gregorius satis conquestus sit, suspicari possumus plerumque maiores exercitus partes magistris commissos fuisse. Praeterea dubitari non potest, quin non solum Castus sed alii quoque duces multis civibus armatis et provincialibus praefuerint. Sed priusquam de genere copiarum quaerimus, breviter commemoremus Africanum quoque exarchum plures magistros militum secum habuisse quam duces Sardiniae, de quibus supra dictum est. De Africano vero exercitu paene nihil certi dicere possumus, quia Gregorius ad Africanos multo rarius quam ad Italicos exarchos virosque eis oboedientes epistolas dedit, ex quibus hoc tantum cognoscimus duos magistros militum diversis quidem temporibus ibi militasse.[4])

Iam si de exarchi opibus et potestate recte iudicare volumus, non solum de ipso Graecorum exercitu sed etiam de civibus armatis nobis tractandum est. Atque Hartmann[5]) quidem discrimen esse statuit inter eas copias, quae ad oppida et castra defendenda in limitum partibus collo-

---

[1]) Reg. 1152. Ex epistola ea sequi videtur, ut Mauricius et Vitalianus et Velox diversis locis versati sint. Falso putat Weise l. c. pag. 156 Velocem fuisse magistrum militum a Roma urbe proficiscentium.

[2]) Reg. 1624, 1627, 1687, 1782 et ducem 1772.

[3]) Nam copiis, quae Romae stativa habebant, Castus praefuit: Reg. 1354. In urbe autem unam legionem fuisse cognoscimus ex ep. Reg. 1359.

[4]) Reg. 1116 Gaudiosus (anno DXCI) et Reg. 1548 Theodorus (anno DXCVIII.)

[5]) l. c. pag. 56.

catae fuerint, et eos exercitus, qui ut proeliis dimicarent, cum exarchis in provincias missi sint. Simillimum est iudicium Diehlii[1]), cum cives armatos a militibus mercennariis exarchi discernat. Nam cum Langobardi per Italiae regiones se effunderent, Campaniae partes in eundem provinciae limitaneae statum redactae sunt, quo Istria et Liguria utebantur, et ipsos cives eodem modo quo illas limitaneorum copias oppida sua defendere oportebat. Velox igitur magister militum, cum milites Graecorum mercennarios ex urbe ad se vocaret, postulasse videtur, ut cives Romani in muris militiam facerent. Quos urbem bene defendisse ex eo apparet, quod Agilulfus rex frustra[2]) Romanos obsidione longa vexavit. Gregorius autem, ne cives hostium armis nimis obicerentur, pacem cum rege conciliavit: quam imperator exarcho conquerente minime gavisus ducem legionis mercennariae in urbe relictae dimisit.[3]) Magistros autem militum illius belli temporibus Gregorium papam de bello gerendo consuluisse consiliaque sua cum eis communicasse mirum non videbitur, si intellexerimus Romam urbem a civibus, apud quos episcopi auctoritas plurimum iam valebat, defensam esse. Cum vero eodem tempore Romanus exarchus militibus Neapolitanis ducem non praeficeret,[4]) ipse papa Constantium tribunum misit, ut custodiae civitatis praeesset.[5]) Constantium autem, qui exarcho insciente ex hac urbe in illam demigravit, tribunum exercitus Graeci fuisse vix credibile videtur. Sed si ducem civium armatorum eum habemus, iam non mirum est episcopum Romanum, qui saepe res Neapolitanas curabat,[6]) cum voluntas ecclesiasticorum

[1]) l. c. pag. 305 seq.

[2]) Langobardos urbem non cepisse Gregorovius (l. c. II 44) valde mirabatur. Quod Weise explanare conatus est l. c. pag. 181; sed argumenta eius parum auctoritatis habent. Suspicemur, cum hostes urbem a militibus denudatam expugnare non possent, ipsos cives eam defendisse.

[3]) Reg. 1359.

[4]) Reg. 1198.

[5]) Reg. 1189.

[6]) Reg. 1573, 1639 aliaeque ep.

virorum in administrandis oppidis iam magni esset momenti viros idoneos civibus armatis praefecisse. Eodem modo Gregorius episcopo Nepetino Neapolim misso non visitatorem, ut consuerat, municipio illi praeficit, sed Leontio [1]) viro clarissimo curam sollicitudinemque civitatis et rei publicae iniungit. – Sed licet temporibus periculosis, cum duces tribunique deessent, singulis armatorum provincialium manibus ex ipsis civibus viri idonei praepositi sint, at certe maioribus copiis ab exarcho duces et tribuni mercennarii exercitus dati sunt. Recte igitur Diehl [2]) censet cives armatos in obtemperantia imperii Byzantini perseverasse, quia Graeci duces eis praefuerint, et iam Hartmann [3]) attulit exemplum tribuni illius Hydruntini [4]) ab exarcho nominati, quem Gregorius rusticos angariis et oppressionibus incompetentibus affligere vetat, ne illi locum deserant et hostibus occasio pervadendi detur. Sed non solum rustici et cives contra Langobardos militabant, sed etiam monachis cura se defendendi permissa erat. Quod si non faciebant, duces exercitus Graeci graviter eos puniebant.[5]) Nihilo minus cives a militia se liberare studebant,[6]) ut propria sua negotia melius curare possent.[7]) Neque minus in Africana[8]) provincia quam in Italia episcopis, qui civitatibus praeerant, cura oppida muniendi imposita est.

Talis exarchis erat exercitus, quo provincias sibi com-

[1]) Reg. 1116. Ewald in M. G. Reg. pag. 112_{30} recte iudicat magistratum superioris ordinis fuisse Leontium, non virum ecclesiasticum, et propter periculum a Langobardis imminens pro visitatore esse missum. Neque autem dicit, qualia potuerint esse iura officiaque illius magistratus, qui quamquam ab ecclesiastico in rebus ecclesiasticis missus sit, tamen non fuerit ecclesiasticus.

[2]) l. c. pag. 317.

[3]) l. c. pag. 59 et 156.

[4]) Reg. 1732.

[5]) Reg. 1772.

[6]) Reg. 1507.

[7]) Reg. 1690.

[8]) Reg. 1535, 1722.

missas in officio et disciplina continere debebant. Quem, praesertim cum cives iam tum militiam fecisse videantur, non tam parvum fuisse, quam saepe creditur, ex exemplis allatis satis perspicuum est. Ex quibus non minus apparet certiorem fuisse mercennariorum militum fidem.

Exarchus officiales [1]) secum habebat, qui eum consilio et opera adiuvabant. Ex officio eius scribones, qui agros pervadentes tirones conscribebant, fuisse videntur. Cura igitur exercitus explendi exarchis commissa erat: nam in Sicilia [2]) quidem insula Gregorius scribones officio adnumerat praetoris, qui ibi summi ducis munere fungebatur. Neque in Italia neque in Africa scribonum illorum mentio fit: ecclesia enim Romana maximos fundos in Sicilia possidebat: quam ob rem ei conscriptiones in Sicilia factae maioris momenti esse videbantur. Cum vero in una tantum epistola de scribonibus agatur, verisimile est conscriptiones illas non magnam vim habuisse. A possessoribus autem non solum tirones verum etiam frumenta et pecuniae poscebantur, quibus exercitus aleretur. Quae res num ad exarchi munus pertinuerint, non constat; nam unus ille erogator, qui in epistolis Gregorii occurrit, ab ipso imperatore nominatur. [3]) Sed cum papa ab eo petat, ut quaestionem faciat de sex centenariis, quae per exarchum ab ecclesia Ravennati sumpta nondum reddita sint, difficile est creditu erogatorem esse officialem ipsius exarchi, praesertim cum Gregorius eum cupiat prohibere exarchum, quominus pecuniis ex partibus Romanis recuperatis milites Ravennates alantur itaque exercitui Romano stipendia desint. Exarchis enim semper maiori curae erat salus copiarum in ipsorum sedibus quam Romae collocatarum. Milites igitur Romani primo iam pontificatus Gregorii anno seditionem moverant. [4]) Num erogatori, quem tot tantaque mala commutatarum esse papa speravit, exarchus praefuit?

[1]) De officiis magistratuum agit Mommsen N. A. XIV 467.

[2]) Reg. 1186.

[3]) Reg. 1700, 1767.

[4]) Reg. 1069.

Non credo; at Maurentium chartularium, qui seditione illa Romae facta in Siciliam profectus est, ut frumenta aut pecunias adduceret, ex numero ducum fuisse constat. Cum vero Siciliae insulae, unde Maurentius auxilium petivit, exarchus non praeesset, fortasse oportet opinari chartularium illum eodemque modo exarchum, qui sex centenaria mutuatus est, periculo inpendente in rem frumentariam et administrationem aerarii exercitus se interposuisse, ex consuetudine autem exarchos a magistratibus, quorum erat vectigalibus reipublicae prospicere, et pecunias et cibaria accepisse. Nam initio pontificatus Gregorii praetoris Siciliensis erat Romam frumentum advehi.[1]) Quem sub exarcho non fuisse constat. Deinde curator sitonici[2]) rei frumentariae Romanae quidem providebat. Cui cum in Sicilia sedem haberet,[3]) exarchum praefuisse non credibile est. Curator autem sitonici praefectum annonae[4]) Romam misit, qui horrea procuraret. De frumentationibus militum Ravennatium nihil memoriae traditum est.

Respicientes igitur, quaecunque de administratione exercitus ex epistolis Gregorii contulimus, ad hanc sententiam ferendam movemur: Exarchus toti exercitui et militum mercennariorum et civium armatorum praefuit ita, ut duces nominaret et, ubi singulae exercitus partes stativa haberent, destinaret et tironum quoque conscriptioni prospiceret; aerario autem et rebus frumentariis in Romanis quidem regionibus alii magistratus praefecti erant; sed illis quoque rebus ipsum exarchum interdum operam dare necesse erat.

Hoc autem maximum exarchis commissum erat, ut consilia belli gerendi animo agitarent et exercitus contra hostes ducerent. Nam etsi in administrando exercitu imperatoris mandatis, ut iam supra dictum est, saepius libertas exarchi diminuta est, in bello gerendo libere se

1) Reg. 1068.
2) Reg. 1641.
3) Reg. 1555.
4) Reg. 1641.

gerere potuit. Quae igitur de insidiis Langobardorum ad Neapolim urbem expugnandam Gregorius papa comperit, ad Romanum exarchum referenda curat.[1]) Et, si milites desunt, ab exarcho auxilium petitur. Cui crimini datur, quod exercitus ex Roma urbe profectus est. Cum vero Gregorius pertimescat, ne in Sardiniam Langobardi invadant, ad Gennadium exarchum Africae litteras dat.[2]) Victoria autem reportata in Italia Italico,[3]) in Africa Africano exarcho[4]) gratulatur. Neque ignoramus exarchos praesentes bellis interfuisse.[5]) Tamen, etiamsi duces singularum exercitus partium ob mala consilia non tam vituperantur, ob felices belli eventus non tam laudantur quam exarchi, ab his aliqua in agendo libertas illis concessa videtur; nam Gregorius cum ad magistros militum de impetu a tergo[6]) in hostes faciendo aliisque rebus ad bellum gerendum pertinentibus mandata mitteret, fieri non potest, quin censuerit praeceptis exarchi accuratis eos asstrictos teneri; immo vero perpendenti ei, quae consilia Langobardi inire possent, duces ita libero iudicio bellum gerere videbantur, ut eos admoneret, ne separatim hostes aggrederentur sed consilia inter se communicarent. Quod autem episcopum Romanum a magistris militum, qui sub uno eodemque exarcho erant, talia petere opus est, exercitui Graeco non magnae laudi est. Sed simile exemplum aliae Gregorii litterae afferunt. Langobardi enim cum Italiae regionibus per multos annos vastatis in Corsicam transveherentur, quamquam sedes belli tam vicina fuerat, neque exercitus neque castra ad bellum instructa erant; neque magistratus Italici exarchum Africanum praemonuerunt de conatibus, quos hostes facturos esse omnes

[1]) Reg. 1198.
[2]) Reg. 1534.
[3]) Reg. 1680.
[4]) Reg. 1141.
[5]) Reg. 1465.
[6]) Reg. 1152, 1187.

divinabant[1]). Itaque papa non modo inter singulos duces exarchi sed etiam inter ipsos provinciarum exarchos societatem concilians solus communibus reipublicae commodis prospicere videtur. Devastata videlicet Corsica insula Africani quoque magistratus bellum paraverunt; sed classis exornata et instructa erat, cum in Italia exarchus pacem faceret; rursusque episcopus Romanus de rebus a magistratibus Italicis gestis Africanos certior facit.[2])

Sed illud exemplum non tam ad res militares quam ad consilia reipublicae gerendae spectat Quale esset commercium cum populis externis, utrum foedera ineunda an bella paranda essent, haec omnia exarchus curare debebat ita tamen, ut ab ipso imperatore ratio capessendae reipublicae destinaretur. Itaque societas cum Francorum rege non Ravennae sed in urbe imperatoria per Mauricium conciliata est[3]) et imperatorem Childeperto 50000 solida per legatos suos direxisse, ut cum exercitu super Langobardos irrueret, Paulus diaconus narrat.[4]) Quam ob rem Gregorius cum pacis desiderio commotus Graecos bello desistere cuperet, ipsum imperatorem petitionibus adit, ut ab exarcho de rebus in Italia gestis instructus suis quoque narrationibus crederet.[5]) Exarchus igitur, qui esset status provinciae, explanare solebat imperatori, qui deinde mandata remisit. Sed quatenus exarchi praeceptis imperatoriis obsequerentur, Byzantii accurate perspici non poterat, praesertim cum agendi libertatem quandam sede exarchi ab urbe imperatoria tam longe distante eis permitti oporteret. Quam ob rem episcopum Romanum non modo ad aulam imperatoris apocrisiarium misit sed etiam Ravennam, ut apud exarchum aliquantum valeret. Accidit enim, ut Gregorius Callinico exarcho persuadere conaretur, ut, cum papa iussa imperatoris graviter ferret, contra ea

[1]) Reg. 1535.

[2]) Reg. 1785.

[3]) Cf. Weise diversis locis libelli sui.

[4]) Hist. Lang. III 17; Greg. Tur. Hist. Franc. VI 42.

[5]) Reg. 1359.

faceret.[1]) Cum vero Romanus exarchus Gregorii precibus non obsecutus pergeret bellare et episcopus suo nomine cum hostibus pacem se facturum esse minaretur, exarchus de hac re non proprio iudicio consilia iniit, sed ad imperatorem litteras dedit, et ille papae iratus rescripsit.[2]) Et alia quoque exempla exstant, quibus demonstratur et Italicum[3]) exarchum et Africanum[4]) ex urbe imperatoria de ratione se gerendi praecepta accepisse. Sed Hartmann[5]) putat exarchis permissum esse, ut sua sponte indutias inirent, pacem autem iustam atque ratam ab imperatore fieri oportuisse. Scimus autem, cum exarchus et Langobardorum rex legatis papae intercedentibus anno DXCVIII pacem duorum annorum facere vellent, confirmationem aliquam exspectandam fuisse;[6]) quam quia ceteri omnes iam consenserant, imperatori soli adscribere possumus. Atque licet Hartmann ipsos exarchos indutias cum hostibus pro imperatore communicasse demonstret, tamen ipsorum iudicio eos indutias illas iniisse vix credibile est. Quod si esset, ducibus quoque pacem facere licuisset; nam Zabardae duci Sardiniae Gregorius propter pacem cum Barbaricinis factam gratulatur[7]) neque autem exarcho Africae, qui Zabardae praefuit, a quo certe eodem modo quo exarchi ab imperatore mandata accipiebat. Itaque Gregorii quidem temporibus verisimile est exarchos confirmationibus et mandatis imperatoris asstrictos in omnia belli pacisque consilia se consociasse; cum vero in praeceptis efficiendis et peragendis libertas, qua unicuique militum duci in bello gerendo opus est, ei permitteretur atque ipsa illa mandata ex eis penderent, quae exarchus ad imperatorem rettulerat, auctoritas eius multum valuit

[1]) Reg. 1680.
[2]) Reg. 1359.
[3]) Reg. 1198.
[4]) Reg. 1445.
[5]) l. c. pag. 30.
[6]) Reg. 1535.
[7]) Reg. 1297.

neque mirum est, quod episcopus Romanus apocrisiarium Ravennam misit et novo exarcho instituto saepius tota administratio mutata est: Gallinicus cum Romano successisset, pacem cum Langobardis fecit, tumultus ecclesiasticos Salonae ortos ad bonum exitum perduxit, de schismaticis rebus cum Gregorio agere studuit.

In rebus militaribus officiales quosdam exarchum adiuvasse iam demonstravimus; sed in eis quoque rebus, quae ad commercia cum populis externis habenda spectabant, patricius iuris consultos secum habebat. Ravennae invenimus eodem tempore duos scholasticos, quorum alter res ecclesiasticas curasse videtur; nam anno DXCV cum Gregorio agit de electione[1]) episcopi Ravennatis, anno DXCVI de pallio eiusdem episcopi,[2]) anno DXCIX apocrisiarius papae ei commendatur.[3]) Auctoritatem alterius, cui nomen Severus est, aliquid conferre ad pacem faciendam Gregorius censet.[4]) Africanus autem exarchus cancellarium Romam misit, ut cum Gregorio de causa aliqua episcopali ageret;[5]) cum vero paulo post rem perquirere inciperet, ad actiones se paratum esse negat.

Quoniam exarchum summo munere militari in provincia sua functum esse intelleximus, venio nunc ad alteram partem, qua perlustrandum nobis est, num in civilibus quoque muneribus auctoritas exarchi aliquantum valuerit.

Ac primum quidem disseram de rebus ecclesiasticis.

Intestinae in ecclesia dissensiones in Africa Donatistarum haeresi, in Italia schismate exortae erant, quod trium capitulorum damnationem subsecutum est. Episcopus Romanus, cum concordiam et unitatem ecclesiae restituere vellet, et Africanos ecclesiasticos contra haereticos incitavit[6]) et Istrianos ecclesiae Romanae reconciliare studuit.[7])

---

[1]) Reg. 1367.
[2]) Reg. 1411.
[3]) Reg. 1677.
[4]) Reg. 1349.
[5]) Reg. 1448.
[6]) Reg. 1305.
[7]) Reg. 1084.

Cum vero vim adhibere conaretur, illi ab imperatore auxilium petiverunt.[1] Et Romanus exarchus, cum vix a Langobardis provincias tueri posset, diligenter cavit, ne intestinos tumultus bellis externis adiungeret, neque quidquam in schismaticos molitus est. Papa igitur exspectare coactus, dum alius exarchus succederet, Callinicum adiit, ut contra Istrianos se iuvaret.[2] Callinicus autem Gregorio exemplar iussionis imperatoriae misit, qua se impediri dixit, quominus otium suum puniendis schismaticis dedicaret.[3] Itaque papa acquievit in petendo, ne episcopis, qui ad catholicae ecclesiae fidem se applicare desiderarent, difficultates pararentur: et Gulfari quoque magistro militum, cui in ipsa Istria provincia cura gubernationis permissa erat, de eadem re schismatica litteras dedit.[4] Cum vero Smaragdus exarchatum iniisset, papa suo iure speravit magistratus reipublicae episcopos catholicos ab insidiis schismaticorum defensuros esse; nam Smaragdus iam primi exarchatus tempore unitati ecclesiae studuerat.[5] Eodem modo in Africa Gregorius a Gennadio exarcho auxiliaria contra Donatistas petit[6] et „Sicut hostilibus bellis“, inquit, „Dominus victoriarum excellentiam vestram fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis ecclesiae eius omni vivacitate mentis et corporis obviare“.[7] Quae verba summo militum duci dissensiones ecclesiasticas diiudicandas fuisse optime demonstrant. In Sardinia autem dux, quod paganam Barbaricinorum gentem debellatam ad religionem christianam perduxit, collaudatur.[8] Nam cum pacis condicio esset, ut Barbaricini ad fidem christianam converterentur, offendere non potest ducem non concessisse, ut condicio illa

[1]) M. G. Reg. 16a.
[2]) Reg. 1666.
[3]) Reg. 1680.
[4]) Reg. 1687.
[5]) Reg. 1901.
[6]) Reg. 1278.
[7]) Reg. 1141.
[8]) Reg. 1297.
[9]) Reg. 1445.

negligeretur. Itaque exarchi, quibus munus militare provincias defendendi committebatur, dissensionibus ecclesiasticis occurrentes intestinam quoque pacem conservabant. Ecclesia autem non minus quam imperator hanc ecclesiasticam exarchorum industriam probabant, et similiter in rebus ad fidei catholicae salutem spectantibus atque in rebus ad pacem cum Langobardis pertinentibus Gregorius papa ipsum imperatorem precibus adiit, si rebus ab exarchis gestis non contentus erat.

Aliam facultatem res ecclesiasticas gerendi exarchis electiones episcoporum obtulerunt. Quae quidem fuerit exarchi opera in eligendo papa, ex Gregorii epistolis non cognoscimus; Gregorius autem Turonensis[1]) ipsum imperatorem Gregorii Magni electionem confirmasse narrat et ex magistratibus unum praefectum urbis nominat. Quibus rebus Paulus diaconus et Iohannes diaconus, qui historiam vitae Gregorii Magni conscribentes ex libris episcopi illius Turonensis multa petiverunt, nihil novi adiungunt.[2]) Epistolae autem Gregorii papae demonstrant exarchum Italicum ab episcopo Romano certiorem factum esse, quis anno DXCIII Mediolani[3]) quisque anno DXCV Ravennae[4]) episcopus electus esset. Quae sedes episcopales cum ecclesia Romana omissa maximam tota Italia auctoritatem haberent, certe exarchi magnopere interfuit, qui viri eas tenerent. Itaque Romanus exarchus virum gratum sibi et acceptum Ravennae eligendum commendavit; tamen ab usitata elegendi ratione ita non decessum est, ut cliens exarchi episcopus non crearetur: qua re demonstratur exarchis neque ius neque potentiam fuisse electiones regendi, et Gregorius non tam debito officio coactus quam urbanitate quadam commotus de eventu electionis ad exarchum litteras dedisse videtur. Hoc quidem ex illa commendatione exarchi et responsione papae apparet, illum ius

[1]) Hist. Franc. X 1.

[2]) Paul diac. vit. Greg. 10; Ioh. diac. vit. Greg. I 9,40.

[3]) Reg. 1235.

[4]) Reg. 1367.

candidatos episcopales offerendi non habuisse. Sententia igitur Diehlii,[1]) cum uniuscuiusque electionis episcopalis indicium ad exarchum deferendum fuisse dicit, minime probanda est. Exemplum quidem Mediolanensis illius electionis affert. Sed Gregorius non solum ab exarcho petivit, ut episcopi electionem probaret, sed etiam ad Theodelindam reginam litteras dedit;[2]) nam episcopi schismaticorum[3]) impedire volebant, ne amicus papae metropolitanam dignitatem Mediolani assequeretur. Gregorius autem omni ratione auctoritatem eius fulcire et sustinere studuit. Neque tertium exemplum, quo Diehl utitur, aliquam habet vim. Salonae enim quamquam magistratus reipublicae negotiis electionis se interposuerant, tamen Gregorius se Maximum episcopum contra regulam et ordinem electum comprobaturum esse negat.[4]) Neque ex ea re, quod magistratus candidatum suum provehere student, concludendum est eos ius proponendi habuisse. Immo vero Gregorius Maximum excommunicavit. Cuius electio ut ab ecclesia Romana comprobaretur, tandem papae cum Callinico exarcho convenit ea quidem condicione, ut candidatus ille magistratuum veniam et poenae remissionem peteret, quod non iuste electus esset.[5]) Exarchus igitur concessit, ut sibi suisque in electiones episcopales se interponere non liceret.[6]) Tamen duo exstant exempla, quibus demonstrari videtur viros, qui sub exarcho erant, electionibus episcoporum interfuisse: Anno DXCI Gregorius non solum clerum ordinem plebem civitatis Ariminensis sed etiam Arsicinum ducem admonet,[7]) „ut nullus se debeat pro Ocleatini ad nos fatigare persona", sed ita, ut a se reprehendi non possit, eorum concurrat

[1]) l. c. pag. 178 seq.

[2]) Reg. 1275, 1308.

[3]) Reg. 1309 aliaeque epist.

[4]) Reg. 1513.

[5]) Reg. 1681.

[6]) Imperatorem rebus ecclesiasticis se interponere non solere iam antea Gregorius dixerat: Reg. 1292.

[7]) Reg. 1126.

electio. Itaque dux quidem neque candidatum offerre neque episcopum electum sancire at tamen videtur particeps esse electionis.[1]) Diehl igitur suspicatur Arsicinum concilio populi praefuisse;[2]) verisimile autem est ab Arsicino, eodem modo atque ab ipso exarcho candidatum quendam Ravennae, ita Ocleatinum Arimini Gregorio papae commendatum esse, qui, cum de ea re rescriberet, facere non potuit, quin ducem quoque nominatim enuntiaret. Sed Ansfridus quoque magister militum virum sibi gratum una cum incolis in municipio Balneo regis elegit episcopum ordinandum. Gregorius autem, „quia illi, quae sint canonica, nesciant," episcopum quendam „de vita actibusque candidati requirere" iubet et Ansfrido scribit, si ille, quem eligat, aptus non videatur, alium esse eligendum.[3]) Sed ut melius iudicare possimus, breviter conferamus exempla electionum episcopalium, quaecunque in registro Gregorii exstant, exceptis illis, de quibus iam diximus. Papa igitur de rebus ad electiones vel ordinationes pertinentibus dedit epistolas ad legatos suos (rectores patrimonii, notarios, alios viros ecclesiasticos et laicos) octo,[4]) ad episcopos viginti sex,[5]) ad clerum unam,[6]) ad presbyteros diaconos et clerum duas,[7]) ad clerum ordinem et plebem civitatum

[1]) In ep. Reg. 1229 cum universis habitatoribus Arimini de electione agit, in ep. Reg. 1664 cum clero et plebe; neque ducis mentio fit.

[2]) l. c. pag. 144.

[3]) Reg. 1782.

[4]) Reg. 1086, 1240, 1244, 1324, 1339, 1392, 1484, 1804 (cf. 1796). De Salotanis dissensionibus (1226) eodem modo Gregorius legato suo scripsit et, cum Ravennae electio facta sit (1335), apocrisiario mandata mittit.

[5]) Reg. 1145, 1146 (cf. 1147), 1165, 1191 et 1192 (cf. 1193), 1217, 1293, 1301, 1328 (cf. 1329), 1353, 1387, 1400, 1460, 1463, 1485, 1549, 1585, 1605 (cf. 1606), 1621 (cf. 1625), 1663 et 1665 (cf. 1664), 1681 (cf. 1678), 1712 (cf. 1713), 1880 (cf. 1878, 1881), 1886 (cf. 1885), 1924.

[6]) Reg. 1329 (cf. 1328).

[7]) Reg. 1796, 1801.

tredecim,[1]) ad clerum et plebem unam,[2]) ad clerum nobiles ordinem et plebem unam,[3]) ad clerum et nobiles duas,[4]) ad nobiles unam,[5]) ad universos habitatores duas,[6]) ad patricium quendam unam.[7]) Quibus in epistolis, quamquam agitur de civitatibus, in quibus eo tempore, quo electio fiebat, magistrum militum[8]) aut tribunum[9]) praesentem fuisse non ignoramus, tamen neque exarchi neque magistratuum eius mentio fit; semel modo narratur de magistro militum, semel de ipso imperatore. Serenissimi enim principis non minus quam omnium episcoporum Illyricorum consensum in Iohanne convenisse Gregorio nuntiatur; quam ob rem Gregorius eum assensus sui auctoritate confirmat et pallium ei mittit.[10]) Cum vero in exemplo illo non agatur de rebus, quae in exarchorum provinciis tractentur, illam electionem accuratius examinare necesse non est. Magister autem militum, qui a papa petit, ut Auximi episcopum ordinari iubeat,[11]) nihil aliud facit atque Aldio magister militum,[12]) qui, cum in civitate sua presbyteros et diaconos ordinari cuperet, ad Gregorium litteras dedit. Neque quisquam magistros militum clericorum quoque ordinationibus se interposuisse putabit; magistri, cum saluti municipiorum, quibus praeerant, prospicerent, incommoda

[1]) Reg. 1128, 1148, 1162 et 1166 (cf. 1156, 1240), 1193 (cf. 1192), 1215, 1218 (cf. 1217), 1606, 1625 (cf. 1624), 1713 (cf. 1712), 1738, 1881 (cf. 1880), 1885 (cf. 1886).

[2]) Reg. 1664 (cf. 1663 et 1665).

[3]) Reg. 1156 (cf. 1162 et 1166).

[4]) Reg. 1147 (cf. 1145 et 1146).

[5]) Reg. 1370 (cf. 1339).

[6]) Reg. 1229, 1678 (cf. 1681).

[7]) Reg. 1878 (cf. 1881). Quas epistolas si computamus, in registro Gregorii invenimus 58 exempla epistolarum ad electiones spectantium, in quibus magistratuum imperii non mentio fit!

[8]) Reg. 1678 (cf. 1687).

[9]) Reg. 1400 (cf. 1732).

[10]) Reg. 1165.

[11]) Reg. 1624, 1625.

[12]) Reg. 1627. Aldio videtur esse idem vir, de quo Gregorius in ep. Reg. 1187 loquitur. Cf. Ewald in M. G. Reg. 129_{31}.

modo legitime removenda curabant. Hoc vero dignum est, quod non negligamus: Quotienscunque episcopus Romanus cum imperii magistratibus de eligendis episcopis agit, ad ipsum exarchum aut viros, quibus ille praeest, epistolas dat. Qui autem civilibus muneribus funguntur, numquam electionibus intersunt, uno Scholastico excepto, qui erat iudex Campaniae. Sed eo tempore, quo Gregorius eum hortatur,[1]) ut, cum Florentius diaconus ordinationem suam lacrymabiliter evitasset, convocatis prioribus vel populo civitatis de electione alterius cogitaret, ducem Neapoli non fuisse constat.[2]) Qua de electione Gregorium ad magistratum reipublicae Neapoli commorantem litteras dare offendere non potest, cum difficillima videretur effectu; iam tumultus exortus erat,[3]) et postremo Gregorius, si Neapolitani electionem quolibet modo differre tentarent, legatum suum in eos ecclesiasticum vigorem adhibere iubet.[4]) Sed in exemplis modo collatis de electionibus in provincia exarchi Italici factis agitur. Africanarum enim electionum exempla non exstant. Tamen in Africa quin res ad electiones episcoporum pertinentes eodem modo se habuerint, dubitari non potest. Nam cum dissensio esset, quomodo primates in Numidia crearentur, Gregorius Gennadio exarcho iudicia sua et sententias exposuit, ut ille, quod papa cupiebat, perficere studeret.[5]) Quin etiam Gregorius censebat, si exarchus sibi operam studiumque navaret,[6]) voluntati suae maiorem auctoritatem fore; propterea a Gennadio petivit, ut una cum episcopo sedi Romanae accepto quaereret et vindicaret, si quid minus gratum in

---

[1]) Reg. 1219.

[2]) Cf. pag. 37.

[3]) Reg. 1205.

[4]) Reg. 1238.

[5]) Reg. 1141.

[6]) Cf. Wisbaum Richtungen u. Ziele der Thätigk. Gregors. Bonn 1884. pag. 22 - 24. Similiter iudicaverunt, antequam Wisbaum libellum suum conscripsit, Lau l. c. pag. 103 seq. et Baxmann Politik d. Päpste. Berl. 1868 (diversis locis). Quorum Wisb. mentio non facit.

concilio episcoporum Numidarum decretum esset.[1]) Religiosam excellentiam eum nominat. Quae cum Gregorius faceret, non id agitavit, ut exarchus primatibus eligendis prospiceret, sed omni ratione efficere studebat, ut Africana quoque ecclesia auctoritati et voluntati episcopi Romani obtemperaret. Quam ob rem auxilium exarchi non repudiavit, quamquam in Africa non minus quam in Italia de electionibus ceterisque rebus ecclesiasticis cum episcopis agere solebat.[2])

Perlustravimus huc usque epistolas, in quibus Gregorius ipse exarchos hortatur, ut rebus ecclesiasticis intersint. Sed exstant quoque, in quibus papa de iniuriis magistratuum Byzantinorum queritur: et eorum magistratuum perversitatem aegre fert, quibus exarchus praeest,[3]) ipsique exarchi et Italici et Africani eum offendunt: Gennadius episcopum quendam, cuius causa Romae perquirenda est, diu retinet.[4]) Romanus episcopum Hortonae, quamquam concilio soli episcopos condemnare licet, Ravennae detinuit.[5]) Idemque exarchus presbyterum ecclesiae Ravennatis ab episcopo defendit, cui ille non obsecutus est, et ancillas Dei, quae ex monasterio aufugerunt et coniugibus sociati sunt, auxilio adiuvit.[6]) Constat viros ecclesiasticos a iudiciis imperialibus liberatos fuisse ita, ut omnes causae, quae clericis aut laïcis erant cum clericis aut monachis,[7]) ab episcopo clerici aut a metropolitano episcopo agerentur;[8]) sin autem episcopus et metropolita deerant, ipse papa voluit iudicare.[9]) Itaque non recte Diehl[10]) ex una epistola, qua episcopum quendam, qui

[1]) Reg. 1278.
[2]) Reg. 1144, 1305, 1520, 1862.
[3]) Reg. 1129, 1680.
[4]) Reg. 1443.
[5]) Reg. 1101
[6]) Reg. 1333.
[7]) Cf. Ewald in N. A. VII 601.
[8]) Reg. 1812.
[9]) Reg. 1912.
[10]) l. c. pag. 187.

causam haberet cum exarcho Africano, ad ipsam urbem imperatoriam profectum esse edocemur, colligit causas, quae episcopis fuerint cum magistratibus, semper apud imperatorem actas esse. Romae enim neque episcopus ille Africanus neque exarchi cancellarius litigare voluit,[1]) quamquam Gregorius se paratum esse ad iudicandum professus est. Unum saltem illud est exemplum causae Byzantii actae. Nam cum Maurentius magister militum causam privatam haberet cum ecclesia Panormitana,[2]) iudices a litigantibus electi decreverunt, et eodem modo causa publica, quam habuit Zitta magister militum cum ecclesia Romana,[3]) quia religiosa loca apud Panormum sita iuri publico de rebus ei competentibus responsum dare contemnebant, a iudicibus electis acta est. Quae exempla etsi non ab exarcho petita sunt, tamen sententiam, quam Diehl protulit, refutare videntur; ipsum exarchum cum ecclesia litigasse non invenimus, sed patricium quendam, virum igitur eiusdem ordinis, cuius est exarchus.[4]) Qui cum causam institueret contra episcopum, Gregorius litigantes reconciliare studuit; neque quisquam de imperatore verba fecit. Causa autem consiliarii ex officio praefecti praetorio per Italiam a iudicibus electis acta est.[5])

Itaque si breviter conferimus quaecunque de iuribus et officiis exarchi ad res ecclesiasticas spectantibus cognovimus, hoc nobis dicendum est: Dissensiones dogmaticas tumultusque ecclesiasticos exarchus componit secundum mandata imperii atque ipsa ecclesia adiumenta reipublicae petit. Quod attinet ad electiones episcopales exarchus non minus quam imperator saepius homines sibi gratos ordinari cupit; sed ecclesia, etsi rationem habet voluntatis patricii quam maximam, tamen plena libertate frui studet. At si exarchi et magistratus eorum iurisdictioni ecclesia-

[1]) Reg. 1448.
[2]) Reg. 1645.
[3]) Reg. 1777.
[4]) Reg. 1423, 1424.
[5]) Reg. 1106.

sticae se interponunt atque disciplinae et regulis canonicis nocent, episcopos graviter questos esse scimus; neque exemplum exstat, cuius auctoritate imperatorem iniuriis eiusmodi assensum esse demonstratur. Quin etiam neque exarchus in causis, quas magistratus sui cum ecclesiasticis viris haberent, neque imperator in eis, quae exarchis essent cum ecclesia, videtur iudicasse. Sed in omnibus illis rebus, si ecclesiam cum magistratibus reipublicae agere necesse erat, quamquam ad munera civilia spectant, tamen semper exarchus et viri, qui sub eo erant, gubernatione provinciae funguntur.

Quae cum ita sint, perquirendum est, num in aliis quoque negotiis, quae ad civilem administrationem spectant, auctoritas exarchi tantum valuerit, quantum in rebus ecclesiasticis, vel, ut breviter dicam, quae fuerint relationes inter exarchum quibusque praeest magistratus et praefectum praetorio. Nam cum ex ecclesiasticis fontibus, quaecunque de officiis exarchi cognoscere volumus, hauriamus, Hartmann exarchum aliis quoque muneribus civilibus praefuisse putat,[1]) excepta iurisdictione,[2]) et quamquam in epistolis neque provocationum ad exarchum factarum neque querimoniarum exempla exstent, tamen, quibuscunque muneribus praefectus praetorio praefuerit, sub exarchi cura fuisse suspicatur. Sed Maurilio cum praefectura se abdicaret, non exarcho sed successori suo rationes suas exponit neque voluntas exarchi hac in re ullius momenti fuisse videtur.[3]) Quin etiam si extraordinariam quaestionem de probitate magistratuum civilium imperator iubet institui, non exarchus sed exconsul quidam Byzantio in Italiam transmissus eos ad se vocat.[4]) Itaque non tam fontium nostrorum quam rerum ecclesiasticarum naturam fuisse causam censeo, quod exarchus eis se immisceret et tamquam in alienos fines trangressus videatur.

1) l. c. pag. 32.
2) l. c. pag. 38.
3) Reg. 1105.
4) Reg. 1657.

Nam Gregorii Magni temporibus ecclesiam Romanam iam fuisse constat non tam ut institutum religiosum reipublicae suppositum, cui magistratus civiles praeessent, quam ut regnum quoddam parvum intra ipsam rempublicam constitutum, cuius gubernator asstrictus officiis, quae debebat imperatori et legibus imperii, ex suo tamen arbitrio magna patrimonia constitutionibus suis administraret. Itaque Gregorium belli pacisque consilia imperatori non semper grata inire videmus. Quibus cum imperator resistere vellet, minus praefecti quam exarchi fuit imperatoris consilia administrandae reipublicae perficere, et parvulae quoque dissensiones et rixae, quae inter episcopum Romanum et Ravennatem de usu pallii exortae erant, cum spectarent ad augendam papae auctoritatem, exarchum contra sedem Romanam excitaverunt;[1]) cumque episcopus Ravennae non solum ad exarchum sed etiam ad praefectum praetorio provocavit,[2]) hic causae illi interesse noluit. Apparet igitur ipsas res ecclesiasticas Gregorii temporibus iam curae exarchi commissas sed nondum prorsus praefectis praetorio eorumque magistratibus subductas esse; nam si episcopus ille Ravennae praefectum Italiae petitionibus adit, dubitari non potest, quin auctoritatem eius etiam tum in rebus ecclesiasticis aliquantum valere putaverit; at spes eum fefellit. Et ipse Gregorius papa cum exarchum Africae haereticis non satis resistere crederet, Pantaleonem quoque praefectum hortatus est, ne administrationis suae temporibus sineret dici haereticos requiescere.[3]) In Illyrica autem provincia, cui exarchus non praeerat,[4]) magistratus munerum civilium maximeque praefectus res ecclesiasticas administrabant.[5]) Gregorius igitur rectores patrimonii si in Illyricum misit, praefecto prae-

[1]) Reg. 1411.

[2]) Reg. 1326.

[3]) Reg. 1304.

[4]) Diehl. l. c. pag. 170 iudicat Dalmatiam non ad exarchatum Italicum pertinuisse.

[5]) Reg. 1113, 1685, 1764.

torio commendavit,[1]) sin autem in Africam, exarcho eiusque magistro militum.[2]) Itaque quo magis ecclesia a iurisdictione imperatoria liberata est quoque magis opes eius patrimoniis et externorum regum foederibus crescebant, eo magis administratio rerum ecclesiasticarum a praefecto ad exarchum delata est.

Quoniam iam supra demonstravimus neque exarchos neque imperatorem esse iudicem, si magistratus exarchi lite ecclesiastica implicentur, iam hoc quoque negandum est exarchum eas causas administrare, quas privati homines cum privatis vel cum ecclesia habeant. Immo vero episcopum Romanum legibus imperatoris succurrentem[3]) et privatos homines, qui vi aut causis premantur, defensione ecclesiastica adiuvantem[4]) videmus. Cumque papa adiumenta reipublicae requirit, non exarchum petitionibus adit sed iudices provinciae, sive civilis causa agenda est[5]) sive publici tumultus exorti sunt;[6]) iudicibus autem praefuit praefectus praetorio. Cum vero Theodorus magister militum in Africa provincia iurisdictioni episcopali se interponat, pecunia corruptus ultra progreditur quam legibus et imperatoris voluntate ei permissum est;[7]) neque quidquam de exarchi potestate ex illis magistri militum insidiis concludendum est. In Sardinia insula, tumultu quodam ecclesiastico exorto,[8]) magister militum una cum praeside litteras ad Gregorium dat.

Eae tantum causae, quae ad ipsum exercitum aut ad officia magistratuum militarium pertinebant, apud exarchum et viros quibus praeerat agebantur. Ita Theodorus, magister militum et Siciliae dux, admonetur, ut de officiali

[1]) Reg. 1176.
[2]) Reg. 1142, 1143.
[3]) Reg. 1293.
[4]) Reg. 1508 aliaeque ep.
[5]) Reg. 1135.
[6]) Reg. 1205.
[7]) Reg. 1551.
[8]) Reg. 1722.

quodam suo iudicium instituat[1]), et Guduinus dux Neapolis, ut militem, qui monacham stupravit, puniat.[2]) Sed cum cives quoque saepius militare cogerentur, perspicuum est iurisdictioni exarchi homines privatos quoque belli temporibus subiectos fuisse. Quam ob rem Godiscalcus dux Campaniae monasterium quoddam graviter vexat, quia incolae ita non hostibus restiterunt, ut ad eos transfugerent.[3]) Cum vero potestas et officia exarchi tot tantisque causis per se extenderentur et ad res et homines iam spectarent, qui praefecti praetorio tutelae mandati erant, mirum non est magistros militum[4]) ipsosque exarchos[5]) tantum iam valuisse, ut vi iudices provinciae et episcopos impedire conarentur, quominus officia exsequerentur.

Sed omnibus illis exemplis demonstrari non potest exarchos cuilibet muneri civili fungendo obligatos fuisse. Itaque si Gregorius Droctulfum[6]) exarcho Africano commendat et ab eo petit, ut ad rempublicam eum adire patiatur necesse non est suspicari exarchum civilium quoque munerum magistratus nominasse; nam Gregorius de munere civili non loquitur; immo potius Langobardus ille vir haud dubie magis idoneus erat, qui militari munere fungeretur quam civili. Tamen Diehl[7]) exarcho ius magistratus nominandi concessum esse putat et alia quoque exempla affert. Quorum unum eodem modo declarari posset[8]) quo petitio Droctulfi, nisi ab Ewaldio[9]) lectione epistolae emendata sublatum esset. Ewald enim scribere voluit in titulo epistolae „Georgio praefecto praetorio“, cum plurimi codices legissent „Romano patricio“. Qua emendatione exemplum in contrarium commutatum esse

[1]) Reg. 1116, cf. Hartmann l. c. pag. 47.
[2]) Reg. 1923.
[3]) Reg. 1772.
[4]) Reg. 1116, 1548. 1551.
[5]) Reg. 1443.
[6]) Reg. 1535.
[7]) l. c. pag. 176.
[8]) Reg. 1232.
[9]) M. G. Reg. $185_{22\ 30}$.

apparet. Nec dubitari potest, quin exarchus Africanus bello feliciter gesto patrimonia ecclesiae Romanae nudata cultoribus, largitis Datitiorum habitatoribus, propterea restaurare potuerit, quod negotiis militaribus fungebatur.[1])

Veniamus ad ultimam disputationis partem, qua perquirendum est, num in pecuniariis rebus auctoritas exarchi quidquam valuerit. Quod, si supra dicta animo respicimus, negandum videtur; nam res frumentariae et stipendiariae, quae ad ipsum exercitum pertinent, num exarchi curae permissae fuerint, non satis perspicuum esse ostendimus. Illud saltem constat exarchum necessitate coactum neque muneris sui natura asstrictum sex centenaria ab ecclesia Ravennati mutuatum esse; nam alio tempore vicarium,[2]) cui praefectus praetorio praeerat, versuram ab episcopo quodam facientem et ipsum praefectum, quae expendantur pro singularum urbium necessitatibus largitionibusque, destinantem videmus.[3]) Weise quidem putat[4]) Callinicum exarchum praefecto illi imperasse, ut expensas reipublicae secundum novam normam dirigeret. Cum vero argumenta non afferat, sententia illa probabilis non videtur; nam quam non exarchus res pecuniarias curaverit, vel ex hoc exemplo elucet: Tribuni cuiusdam mortui viduae, quamquam fuerat homo militaris, cui exarchus praefuerat, comitiva, quam vir agendam susceperat, a Theodoro palatino conceditur, non ab exarcho.[5]) Sed quod Weise, cum satis obscure loquatur, parum perspicue sentire videtur, Ewald palam professus est, cum scribit[6]) magistrum militum fuisse sub exarcho summum rei militaris magistratum ita ut rei civilis praefectum praetorio. Cui iudicio exempla quaecunque perlustravimus repugnant; neque Ewald dicit, qua ex re sententiam suam perceperit. Tamen

---

[1]) Reg. 1142.
[2]) De vicariis cf. Mommsen N. A. XV 181.
[3]) Reg. 1775.
[4]) l. c. pag. 226.
[5]) Reg. 1080.
[6]) M. G. Reg. 94_{39}.

suspicandum est exarchum, qui bella gerebat itaque sciebat, quanto sumptu opus esset, cum praefecto praetorio de rebus pecuniariis egisse. Quarum conspirationum quamquam in Gregorii epistolis exempla non reperimus, tamen iudices conscios fuisse rerum a magistris militum gestarum pleraeque epistolae testantur [1]). Iudices autem quamquam una cum magistris militum provincias administrabant, non sub eis erant; itaque praefectum praetorio sub exarcho fuisse non suspicandum est, quamquam verisimile est exarchum a praefecto in rebus pecuniariis adiutum esse. Exactiones vectigalium constat iudicibus, quibus praefectus praeerat, curandas esse commissas. [2])

Iam si breviter comprehendamus quaecunque de iuribus et officiis exarchi ex registro epistolarum Gregorii Magni cognovimus, postquam quae viri docti de principe imperii Byzantini magistratu in provinciis Africa et Italia senserunt, diligenter perlustravimus et perpendimus, hoc nobis videtur dicendum: Exarchus exercitum administrabat et contra hostes ducebat suo ipsius arbitrio et consilia belli pacisque inibat secundum mandata imperatoria; summus quoque iudex erat in exercitu. Praeterea rebus ecclesiasticis prospiciebat. Cum vero ecclesiae auctoritas et opes crescerent et cives militantes sub exarcho essent, nobis, si Gregorii tempora perspicimus, perlucidum est tum iam fundamenta iacta esse eius mutationis, qua postea praefecti potestas ab exarchi tota repressa est. —

---

[1]) Reg. 1142.

[2]) Reg. 1351.

Vita.

Natus sum Carolus Aemilius Felix Lampe Berolini die XXXI mensis Iulii anno 1868 patre Aemilio, viro mathematico, qui in schola polytechnica Charlottenburgensi professoris munere fungitur, matre Maria e gente Diederichs. Quos adhuc viventes maxime veneror.

Fidem confiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis imbutus sum in schola elementaria coniuncta cum schola, quam dicunt Luisenstädt. Oberrealschule (Gewerbeschule); tum gymnasium, quod vocatur Luisenstädt. Gymnasium, etiamnunc florens auspiciis Hermanni Mülleri per $10 \frac{1}{2}$ annos frequentavi. Tentamine maturitatis superato vere anni 1888 Bonnam me contuli et civibus Universitatis Fridericae Guilelmae adscriptus studiis historicis et germanicis operam dedi. Docuerunt me viri ill. Dove, Nissen, Frank, Wilmanns. Cum vero autumno eiusdem anni in urbem patriam revertissem, inter cives Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis receptus per septem semestria audivi viros ill. Bresslau, Curtius, Höniger, Koser, Lenz, Löwenfeld, Marcks, Meinardus, Naudé, Schrader, Scheffer-Boichorst, Schmoller, de Treitschke, Rödiger, Schröder, E. Schmidt, Weinhold, Grimm, Frey, de Richthofen, Dilthey, Döring, Paulsen. Exercitationibus seminarii historici interfui, ad quas aditum mihi praebuerunt viri ill. Bresslau, Koser, Lenz, Scheffer-Boichorst, neque minus exercitationibus germanicis, quas moderabantur viri ill. Rödiger, E. Schmidt, et philosophicis rectore viro ill. Paulsen.

Omnibus autem viris optime de me meritis et praecipue viris ill. Mommsen et Scheffer-Boichorst, qui benignis animis adolescentis labores allevarunt, gratias ago semperque habebo.

Theses.

1. Adam comitem de Schwarzenberg imperatoris gratia salutem domus Zolleranae perfide neglexisse falso existimatur.

2. Voltaire bello septem annorum Friderico Magno haud insciente pacis auctor fieri studuit; neque tamen rebus Borussicis consuluit.

3. De historia quae Schopenhauer docet, probanda non sunt.

Druck von G. Zahn & H. Baendel, Kirchhain N.-L.